

In Regio Nosocomio (ubi centum & interdum ducenti ægri decumbunt, quibus tam Spiritualia quam temporalia P. P. Societatis IESV administrant) fuisse vnum ex maximis dentibus equi marini, ita ut quotidie à quolibet miraculum illud naturæ ibi spectari potuerit. Nulla enim ferè dies, quâ non pluribus scinditur vena infirmis, quibus illius dentis applicatione impeditur profluvium cruoris. Non me latet alius modus explorandæ in dictis dentibus hujus admirabilis qualitatis.

Memini me legisse in Historiâ Indicâ. Cum olim Lusitani Malabaricos paros (sic vocant parva Navigia Indorum) cepissent, & Cadavera Malabrùm occisorum tabe & sanguine sordida in aquam eijcerent, reperisse cujusdam Principis Malabarici cadaver, plurimis glandibus trajectum, & iteratis vicibus confossum, sine ullo prorsus ex hiantibus vulneribus sanguinis effusi vestigio; cum igitur indusium ac alias vestes, aut potius telas detraxissent, atque frustum osseum appensum ad collum abrupsissent, (quod sine dubio ex Caballi marini fuit dente) ecce tibi subito, veluti aggere perrupto, sanguis è mortuo corpore ad stuporem omnium profiluit, quem profectò ne exiret, tam à Vivo, quàm postea à cadavere mortui appensum frustum cohibebat: nimirum frigidissima qualitas, ex dente applicato profusa in corporis venas, constipatum detinebat sanguinem, qui postea, abstracto dente, restitutus naturali suæ raritati, per vulnera aperta copiosissimè promanavit.

De Gen-to Serpente.

Gen-to serpentum omnium in Insula Hay-nan & Provincijs Quam-tum, Quam-sy, &c. reperitur facilè maximus, cervos inte gros ex fugèdo & minuendo devorat, non adeo venenosus, colore cinerico variegatus, longus octodecim aut quatuor & viginti pedes: famelicus ex dumetis profilit, caudæ innitens in saltum se erigit, & cum feris atque hominibus acriter luctatur: subinde ex arbore insidiosè in viatorem desilit, & complexione interimit; fel illius contra oculos morbos Sinis est preciosum. In India & regno Quam-sy in quorundam certi generis Serpentum (quos Cobras de Cabelo seu capillatos Lusitani nominant) capitibus sapis reperitur contra morsus ab iisdem Serpentibus inflictos homini, spacio aliàs viginti quatuor horarum interituro. Lapis hic rotundus, coloris in medio albi, & circum circa glauci aut cœrulei, vulneri applicitus per seipsum hæret, veneno verò jam plenus decidit: post lacti immerfus per aliquam moram, ad statum naturalem se reducit. Lapis hic non omnibus communis, si literatò eidem vulneri adhæreat, virus omne exhaustum non fuit; si non adhæreat, moribundo Indigenæ de supecato mortis periculo aggratulantur. Reperta est item radix aliqua contra venenum hujus morsus vocata à Lusitanis Raiz de Cobra, idest, radis Serpentis, quam masticare opus est, quoad usque bis aut ter eructet homo.

Alius præterea apud Sinas serpens invenitur veneni maximi, sed preciosus, qui intra paucas horas hominum occidit. Ex eo medicina contra varios morbos sic paratur: Cauda cum corpore immergitur amphoræ optimo repletæ vino, ut solum caput & os vidi serpentis, ne evadat, constriçtum per medium operculi foramen exstet, ut igne supposito, vinoq; fervescente, omne virus aperto ore vaporet:

Caro reciso capite infirmis datur, & unicum illud preciosum theriacæ ad instar asservatur.

Figuram Gen-to Serpentis vide supra, sub Littera L.